



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae, Et Decreta Zosimi Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO
CHRISTI
416.

Item quisquis dixerit.] Item placuit vt quisquis dixerit. In aliis etiam Canonibus repetitur verbum *Placuit.* sed interpres tamen Græcus hoc legisse non videtur, Can. 112. Ομοίως ὅστις ἄποτε εἶποι τὸ αὐτὸν χεῖν. Item post pauca vertit *Φανερόσται ἡ γνώσις τῶν ἀμάρτημάτων,* *aperitur intelligentia peccatorum,* non vt hic legitur, *intelligentia mandatorum,* quæ tamen verior est lectio: sequitur enim, *vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus.*

Domino Deo nostro.] Domino Deo meo. quo pacto legitur & apud Daniele cap. 9. v. 20. & Græcus interpres vertit, *κεῖω τῷ θεῷ μου ἐν ἡδέλησεν εἰπεῖν τὰς ἀμάρτίας ἡμῶν.* quæ perperam reddit Latinus Photii interpres in Nomocanone; *Noluit dicere peccata mea, pro peccata nostra.*

V I T A,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
ZOSIMI PAPÆ.

Ex libro pontificali.

ANNO
CHRISTI
417.

ZOSIMVS natione Græcus, ex patre Abrahamio, ^a ^b sedit annum vnum, menses duos, dies vndecim. Hic constituit multa in ecclesia. Et constituit vt diacones læuas tectas de pallis linoestimis haberent. Et ^c per parochias concessit licentiam benedicendi cereum paschalem. Et præcepit, vt nullis clericis poculum in publico propinaretur, nisi tantum in cellis fidelium, maxime clericorum. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros decem, diacones tres, episcopos per diuersa loca numero octo. Sepultus est via Tiburtina, iuxta corpus beati Laurentii martyris, septimo Kalendas * Ianuarii. Et cessauit episcopatus dies vndecim.

* Iunii.

N O T Æ.

^a *Zosimus.]* Post obitum Innocentii, interlapsis vigintiduobus diebus interregni, Zosimus factus est pontifex decimanona Augusti, anno Domini 417. qui est Honorii 23. Theodosii 10. Pelagius & Cælestius ab Africanis condemnati, ad pontificem appellarunt, oblatoque Zosimo fidei libello plane catholico, se in omnibus paratos esse dixerunt, eadem de fide sentire, quæ Romanus pontifex sentienda proponeret. Quibus persuasus pontifex de vtroque, vt vi-

Zosimus quando pontifex factus. Pelagius & Cælestius condemnati ad pontificem appellarunt.

Ccc iij

deri poterat catholico reddito, ad eosdem Africanos episcopos literas dedit, quas infra ex codice Vaticano cum libello fidei subiungemus. Baptismatis fontis benedictio, vt est apud Leonem epistol. 65. miraculo est confirmata. Quid in causa Pelagii inter Zosimum & Africani Concilii patres actum sit, infra dicemus. Interea Romæ Cælestius in iudicium vocatus, de fide & doctrina examinatus, peccatum originale cum Pelagio negasse repertus fuit: qua de causa in vtrumque sacer patrum confessus hanc sententiam damnationis protulit, vt nisi correcti pœnitentiam agerent, toto orbe terrarum damnati censerentur. Sixtus Romanus presbyter, Cælestini in pontificatu successor, quem Pelagianæ hæreseos fautorem ac patronum esse calumniati fuerant, primus in illos anathema proclamauit, & commentarium aduersus eosdem scripsit, teste Augustino epistol. 104. & 105. Honorius imperator edicto promulgato eosdem proscripsit. Fautores Pelagii ex clero Romano, tamquam rebelles & perturbatores omnium a Zosimo excommunicati, cum ad Honorium imperatorem de pontifice conquesturi se contulissent, sub pœna excommunicationis vitari iubentur per epistolam Zosimi ad presbyteros & diaconos Rauennates per scriptam. Damnati hæresiarchæ, pontificem, clerum Romanum, Augustinum, aliosque catholicos calumniis impetiuerunt, & ecclesiam Romanam orientalibus odiosam reddere laborauerunt; sed frustra. Ob dissensionem quamdam Africanorum episcoporum cum Romano pontifice obortam, de prosecutione appellationum ad sedem apostolicam interpositarum, Faustinum episcopum Potentinum in Piceno, Asellum & Philippum, legatos a latere, anno Domini 418. Carthaginem misit. Quoniam vero inter hæc Zosimum mori, remque ad Bonifacium successorem eius deuolui contigit, quid in causa perdifficili, quinquennio agitata, gestum sit, infra dicemus. Baron. prædictis annis.

Quamdiu
federit.

^b *Sedit annum vnum, menses duos, dies vndecim.*] Anno vno, mēibus quatuor, diebus septem pontificiam sedem tenuisse, patet ex initio & fine pontificatus. Anno præcedente 417. Innocentium adhuc superstitem fuisse, indicat eius epistola ad Concilium Mileuitanum scripta. Ad finem anni 418. Zosimū non superuixisse, acta Concilii Carthaginensis VI. & epistola Bonifacii successoris ad episcopos Galliæ, sub consulatu Monoxii scripta, testantur. Cum ergo, iuxta auctoritatem libri pontificalis, obitus Zosimi contigerit VII. Kalendas Februarii constetque ex relatione Symmachi ad Honorium IV. Kalendas Februarii data, Bonifacium eidem subrogatum fuisse, dicendum est Zosimum non tribus, sed vno tantum anno, ac prædictis mensibus & diebus sedem apostolicam gubernasse. Baron. anno 418. num. 75.

Decretum
Zosimi.

^c *Per parochias concessit licentiam.*] Zosimus hoc tantum constituit, vt idem cereus, qui in maioribus dumtaxat basilicis incendi soleret, æque singulis parochiis concederetur. Benedictionem enim cerei paschalis, in ecclesia antiquiorem esse, docet Prudentius, qui de eo hymnum cecinit. Baronius anno. 418. num. 26.

Fontis benedictio miraculo confirmata. Iudicium Cælestii Romæ renouatum.

Cælestius & Pelagius condemnati.

Ab imperatore proscribuntur. Pelagius & Cælestius Romanam ecclesiam infectati.

Legatio in Africam missa cur fuerit.

EPISTOLA I.
 ZOSIMI PAPÆ
 AD HESYCHIVM SALONITANVM
 EPISCOPVM.

- I. *Quod monachi vel laici, nisi per gradus ecclesiasticos, non debent ad summum sacerdotium pervenire.*
 II. *Quod si quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subiacet.*
 III. *Quæ in singulis clericorum gradibus tempora sunt prefixa.*

Zosimus episcopus urbis Romæ, Hesychio episcopo Salonitano.

I.

EXIGIT dilectio tua præceptum apostolicæ sedis, in quo patrum decreta consentiunt, & significas, nonnullos ex monachorum populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia maior est, sed & laicos, ad sacerdotium festinare. Hoc autem specialiter & sub prædecessoribus nostris, & nuper a nobis interdictum constat literis ad Gallias Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret: & non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in ordinatores eius, ut carerent eo ordine quem sine ordine contra præcepta patrum crediderant præsumendum. Vnde miramur, ad dilectionem tuam statuta apostolicæ sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur constantiam propositi tui, frater carissime, nec aliud de pontificii tui veteri censura auctoritatis genus expectandum fuit, quam ut talibus ambitionibus, pro præceptis patrum, in procinctu fidei constitutus, occurreres. Igitur si quid auctoritati tuæ (quod nos non opinamur) æstimas defuisse, supplementum. Obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ & arrogantia venienti. Tecum faciunt præcepta patrum, tecum apostolicæ sedis auctoritas. Si enim officia læcularia principem locum, non vestibulum actionis in-

Dist. 36.
 Qui ecclesiasticis.
 Et dist. 19.
 Qui ecclesiasticis.

gressis, sed per plurimos gradus examinatis, temporibus deferunt; quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, ut in caelesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit? & prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitii: nec illi vile sit, exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia antea facta testentur. Iure inde summi pontificis locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio confacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, diuinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse iudicii. Rarum est enim omne quod magnum est.

II.

Proinde nos, ne quid meritis dilectionis tuæ derogemus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam; non tantum eorum, qui in ea prouincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectioni tuæ prouinciis adiunguntur. Sciet (quisquis hoc, proposita patrum & apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit) a nobis districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quidquid interdictum toties vsurpatur.

III.

Dist. 77.
In singulis:
& in Decr.
Siricii ad
Himerium
Tarraco-
nen. cap. 8.
& 9.

Hæc autem in singulis gradibus obseruanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores vsque ad vicesimum ætatis annum continuata obseruatione perduret. Si maior iam & grandæuus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter lectores,
siue

siue inter exorcistas quinquennio teneatur: exinde acolythus, vel subdiaconus, quatuor annis: & sic ad benedictionem diaconatus (si meretur) accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hæere debet. Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco (si eo illum exactior ad bonos mores vita perduxerit) summum pontificatum sperare debet. Hac tamen lege seruata, vt neque bigamus, neque pœnitens, neque viduæ maritus ad hos gradus possit admitti. Sane, vt etiam defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus. Datum octauo Kalendaras Martias, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus.

EPISTOLA II.

ZOSIMI PAPÆ

AD CLERVM ET AD PRESBYTEROS

RAVENNATVM.

Excommunicat eos qui contra se ad comitatum ierunt.

Zosimus episcopus commonitorium presbyteris & diaconibus qui Rauennæ sunt.

Ex relatione fratris nostri Archidami presbyteri, qualiter suscepti sitis, vel quid egeritis, cognouimus, vel qualiter illi suscepti sint, qui contra Canones aduersum nos ad comitatum (nescio qua audentes temeritate) ire voluerunt. Ad quos hæc, quæ nunc misimus, olim scripta feceramus, eorum, quas iniuriose miserant, respondentes epistolis. Sed quoniam non potuerunt rei in sua, hoc est, in nostra ecclesia Romana, cum nostris compresbyteris commorari, has ad vos illis tradendas literas destinauimus, in quibus Decreto nostro sanximus, memoratos perturbatores omnium ab apostolicæ nostræ sedis communionem alienos fuisse, atque nostra subscriptione prolatam sententiam suscepisse. Illos etiam qui effrenato huic facto consilioque assensum commodare

Sardicenis
Concilii
Can. 8. 9.
20. & 21.

Concil. Tom. 4.

Ddd

voluerunt, vestræ caritatis est æstimare qualiter habeantur. Quibus hoc obiicere vos debetis, quod * iuxta Ca. ^{contra} nonum præcepta fortiter incurrere, & qualiter presbyteros non decebat, rebelles existere tentauerunt. Vos tamen monemus in speculis esse debere, ne qua eorum prorumpat audacia, quos anathematizatos scit sancta & apostolica ecclesia. De his vero, qui eorum se societati iunxerunt, quid agere debeamus, cum reuerfi fueritis, consilio meliori tractabimus. Et alia manu: Datum v. Nonas Octobris, Honorio duodecimum, & Theodosio octauum Augustis consulibus.

NOTA.

Qua occasione Zosimus pontifex hanc epistolam scripserit, dixi supra in notis ad vitam Zosimi: nimirum quod a pontifice excommunicati ad comitatum profecti fuerint, contra Sardicensis Concilii Decreta. Vide quæ ibidem notauimus. Baronius anno 418. num. 19.

EPISTOLA III.

ZOSIMI PAPÆ

AD AFRICANOS EPISCOPOS.

Cælestium, prout videri poterat, catholicum redditum esse nuntiat.

Zosimus Aurelio & vniuersis episcopis per Africam constitutis dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

Iohn. 4.

MAGNUM pondus examinis magna desiderat, vt non sit rebus ipsis quæ geruntur inferior libra iudicii. His accedit apostolicæ sedis auctoritas, cui in honorem beatissimi Petri patrum Decreta peculiarem quamdam sanxere reuerentiam. Orandum igitur, & incessanter orandum, vt continua gratia, perennique adiutorio Dei pax ex hoc fonte in totum orbem fidei & catholicæ societatis nullis nubibus interfusca mittatur. Caritas enim, quæ (sicut scriptum est) *Deus est*, perfecta plenitudinis abundantia gratulatur: cum si quid vel suspicionis habuerit fidei intentionis sollicita, vel in longum perducta contentione, aut emendatione corrigitur.

Cælestius presbyter nostro se ingessit examini, expe-

tens ea, quæ de se apostolicæ sedi aliter quam oportuit, essent inculcata, purgari. Et licet multæ occupationes maioribus vinculis ecclesiasticorum negotiorum curam nostram, sollicitudinemque distraherent: tamen ne paternitatis vestræ de aduentu ac discussione prædicti diutius penderet expectatio, posthabitis omnibus, die cognitionis resedimus in sancti Clementis basilica, qui imbutus beati Petri apostoli disciplinis, tali magistro veteres emendasset errores, ratosque profectus habuisset, ut fidem, quam didicerat & docuerat, etiam martyrio consecraret: scilicet ut ad salutiferam castigationem, tanti sacerdotis auctoritas præsentis cognitioni esset exemplo. Omnia igitur quæ prius fuerant acta discussimus, sicut gestorum huic epistolæ coherentium instructione discetis. Intromisso Cælestio, libellum eius, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti, utrum hæc quæ scripsisset, corde loqueretur, an labiis, sæpenumero explorauimus, cum de occultis animorum solius Dei nostri possit esse iudicium, cui non tantum cogitata, sed cogitanda etiam præsto sunt. Quid voces eius contineant, compendiosius duximus ad sanctitatem vestram legenda cognosci. Vnum sane mouet nos, ut cum in præsentibus ibi Cælestium habueritis, nihil liquido iudicatum sit. Ad literas Herotis & Lazari priori relatione destinata, equidem hoc feruore fidei præfestinatum esse, promptissimum est.

Consistorium in S. Clementis basilica.

Sed cum de his interrogaretur, asseruit nullum sibi de talibus contentionibus vnquam cum antedictis fuisse sermonem, nec ante sibi, quam de se scriberent, visum fuisse compertos; Lazarum sane in transitu cognitum, Herotem vero etiam satisfactione interposita, quod secus de ignoto & absente sensisset, cum gratia recessisset. Iam caduca ad nulla fundamenta criminationis ignota procul dubio ire fuit, ut persona talium, quæ tam ventosa & leuis extiterat, quæreretur, si saltem illis loci sui ratio vitæque constaret, ut fides absentibus in absentes debuerit adhiberi, tantumque pondus in literis eorum, ut auctoritatem testimonii mererentur. Patuit hos inobseruatis ordinationibus, plebe cleroque contradicente, ignotos, alienigenas intra Gallias sacerdotia vendicasse,

De causa Herotis & Lazari episcoporum Gallorum.

Concil. Tom. 4.

D dd ij

quibus se ipsi propria abdicauere sententia; nosque licet & alia, tum eorum de se pœnitundinem secuti, sacerdotali eos loco & omni communione submouimus. Satis vrget causam, a talibus processisse per literas in absentes eius accusationem, qui se præfens tuetur, qui exponit fidem, qui prouocat accusantem, nunquã piguit in melius retorxisse iudicium. Adolescens & sancti Spiritus executor, qui Susannam feniorum falsitate damnatam inuenit innocentem; reducitur a suppliciis casta per puerum, quæ per grandæuos fingitur impudica. Non ergo omni (sicut cautum est) spiritui credendum, sed diu appensius examinandum est, præsertim de fide hominis, vbi status eius & vita perpetua est. Nec Salomonem *sefellit* in puerperii rixa * mentis indago: non enim duabus feminis inter se iurgantibus vnum pignus induxit; sed ibi arbiter fide cunctabundus inuenit, vbi veræ pietatis intellexit affectum. Perquam rarum sit, vt longa & castigata cunctatione ad veri cubile perueniat. Optimæ mentis indicium est, praua difficilius credere: nam plerique, quorum de se bonæ confessionis pignus adhibetur fides, in nullius erroris abruptum necessitate coguntur, & irremediabile vulnus efficitur, quod desperatur sanari.

Instauratur
iudicium
inter Cælestium & accusatores.

Vnde in præfenti causâ nihil præcox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absoluta Cælestii fide nostrum examen; cui etiam prior libellus ab eo intra Africam testimonio apud nos esse debuisset; ne inexploratis, famaue iactantibus tam facile crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire, quam libellis & confessione contexuit; aut nihil post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisce cognoscat. Ipsum sane Cælestium, & quoscumque qui eo tempore ex diuersis regionibus aderant sacerdotes, admonui, has tendiculas quæstionum & inepta certamina, quæ non ædificant, sed magis destruunt, ex illa curiositatis contagione profluere, dum vnusquisque ingenio suo & intemperanti eloquentia suprascripta abutitur: cum in hoc etiam magnorum virorum nonnunquam cum ipsis auctoribus scripta periclitantur post permultam temporis miseriam, interpretantis arbitrio:

vt diuine profectum sit: *Ex multiloquio non vitari peccatum.* Prov. 10.
 Et sanctus Dauid postulare *circumstantiam labiis suis, orique* Psal. 140.
custodiam. Caritatem vestram tam apostolicæ sedis aucto-
 ritate, quam mutua amoris affectione commoneo, vt iam
 ingenia vestra sanctarum omnium scripturarum, quæ se-
 cundum traditionem patrum atque maiorum præcepta
 sunt, præceptis, obseruationibusque sufficiant. Quid illic
 non abundans? quid non Dei Spiritu & vocibus plenum
 sit? nisi libet vnumquemque plus sibi credere, suoque de
 se vti iudicio. Data . . . Honorio Augusto XI. & Flauio
 Constantio consulibus.

NOTA.

* *Epistola.*] Cælestius ab Africanis damnatus, ad sedem apostolicam
 appellauit: mortuo Innocentio Romam se contulit, non vt appella-
 tionem desertam prosequeretur, sed potius suas aduersus Africa-
 nos accusatores querelas deponeret. Cum metueret se a pontifice
 damnatum iri, si suam, quam corde tenebat, hæresin virulentam
 manifestaret, ea arte libellum quemdam fidei concinnauit, vt si et-
 iam vellet Zosimus, ab ipso reiici non posset; vtpote qui, post enar-
 rata quæ de fide sentiret, eiusmodi verba ad finem apposuit: *Si forte*
(vt hominibus) quispiam ignorantie error obrepserit, vestra sententia
corrigatur. Augustinus de peccato originali cap. 6. & 7. Interrogatus
 a pontifice, vtrum epistolæ Innocentii aduersus errores Pelagii scri-
 ptæ assentiretur, teste Augustino lib. 2. contra Pelagium professus
 est se illi consentire. Hac de causa Zosimus spem concipiens, Cæle-
 stium ecclesiæ catholicæ restituendum, leuius cum eo agere voluit,
 vt errantem lucraretur. Antequam ad catholicam communionem
 admitteretur, neve ab eo deciperetur, eam ex abundantia cautelam
 adhiberi voluit, vt in Africam scriberet, & ab ipsis per literas postu-
 larer, ad se Romam mitti quidquid contra Cælestium obiicere pos-
 sent, aut vellent. Hæc est occasio, qua ad Africanos episcopos Zosi-
 mus pontifex hanc epistolam scripsit. Ex hac Cælestium hominem
 versipellem esse apparet, qui, vt catholicus videri posset, mendaciis
 cuncta inuoluit. Excussa larua, a Zosimo detectus, & hæreticorum
 scelestissimus postea ostensus fuit. Quod ad Lazarum & Herotem
 spectat, quos adeo vehementer Cælestius infamat, quam insigni-
 ter mentitus sit, intelligere possumus de vtroque ex illis, quæ de
 Herote dumtaxat enarrat Prosper in chron. his verbis: *Heros vir*
sanctus, B. Martini discipulus, cum Arelateni oppido episcopus preside-
ret, a populo ipsius ciuitatis insons, & nullis insimulationibus noxtus, pul-
sus est, &c. Vide Baronium anno 417. num. 17. 18. 19. & 23.

Cælestius
 cur Romam
 profectus.

Cælestius
 catholicam
 fidem obla-
 to libello
 proficitur.

Zosimus
 cur cum
 Cælestio
 leuius ege-
 rit?

Occasio
 huius epi-
 stolæ scri-
 ptæ.

Lazarus &
 Heros a
 Cælestio in-
 iuste diffama-
 ti.

Pelagium catholicum videri scribit.

*Zosimus episcopus Aurelio & uniuersis episcopis per Africam
constitutis dilectissimis fratribus, in Domino salutem.*

POSTquam a nobis Cælestius presbyter auditus est, & quid de fide sentiret euidenter expressit; eadem quoque, quæ in libello contulerat, repetitis crebro professionibus roborauit: de eius nomine plenius ad dilectionem vestram scripta direximus. Ecce epistolam Hierosolymitani episcopi Praylii, qui in locum quondam sancti Ioannis episcopus est ordinatus, accepimus, qui causæ Pelagii enixius adstipulator interuenit. Literas quoque suasidem Pelagius purgationem continentes abundantissime misit; quibus & professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fucō, ut cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulauit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, & eodem sensu sententiisque formata, quæ Cælestius ante protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesset potuisset. Quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio singulorum? Vix fletu quidam se & lacrymis temperabant. Tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse? Estne ullus locus, in quo Dei gratia vel adiutorium prætermisum sit? quod quisquis potest præter eandem vel mente concipere, nec illi supernæ sententiæ subiectus, quæ de sancto Spiritu lata est, quod neque hic, neque in futuro venia vel remissione donetur?

Video etiam hunc Pelagium, Herote & Lazaro scribentibus, infamari. Itane, fratres dilectissimi, ad aures vestras, qui sint isti turbines ecclesiæ vel procellæ, nec opinione peruenit? Ita vero vos latuit * vita horum atque damnatio? Et quamquam specialis illos apostolicæ sedis auctoritas omni communionem submouerit: discite & in hac epistola, licet strictim, hominum mores. Vetus La-

Heros &

zaro consuetudo est innocentiam criminandi: per multa Concilia in sanctum Britium coepiscopum nostrum Turonicæ ciuitatis diabolicus accusator inuentus est. A Procuro Massiliensi in Synodo Taurini oppidi sententiam calumniatoris exceptit. Ab eodem Procuro fit post multos annos sacerdos, tyrannici iudicii defensor ciuitatis Aquensium: cum contraireret afflicto, in ipsum penetrabile * & sacerdotale solium sanguine innocentis pene respersum irrupit: stetitque in eo hætenus umbra sacerdotii, donec tyranno imago staret imperii: quo loco post interuentionem patroni, sponte se exiit, & propria cessione damnauit.

Lazarus accusator
Pelagii
quales.

De Herote uero omnia similia, idem tyrannus, patronus cædis, turbæ presbyterorum contradicentium, vincula & custodia, & totius ciuitatis addictio, similis pœnitentia de abdicatione sacerdotii. Mirum est si isti laicum uirum ad bonam frugem longa erga Deum seruitute nitentem falsis literis percellere noluerunt, qui in fratres & coepiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempestates ecclesiæ reddiderunt. Non decet episcopalem auctoritatem, & præcipue prudentiam uestram, ad leuium suffuronum scripta pendere. Ecce Pelagius, Cælestiusque apostolicæ sedi in literis suis & confessionibus suis præsto sunt. Vbi Heros? Vbi Lazarus? erubescenda facta & damnationibus nomina. Vbi illi adolescentes Timasius & Iacobus, qui scripta quedam, ut asserebatur..... * ...? Vos conicite, si qui talia in sede apostolica confitentur, illa quæ de iisdem a prauis ac leuibus auctoribus, ac dubio rumore iactata sunt, oporteat credi. Amate pacem, diligite caritatem, studete concordia, nam scriptum est: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Qui magis alter alteri proximi sumus, quam omnes qui in Christo unum esse debemus. Non omnis qui aures uestras uentus ingreditur, nuntius est veri. Ideoque animo præfule & in excubiis constituto semper opus est, ne totum famæ, totum testibus liceat. Recensete sacras literas & diuina tabularia: maximam partem falsi testes occupauere, ubi sanctorum aut accusationem, aut pericula reperimus: maximam dico, imo totam, cum in ipsum Dominum nostrum saluatorem totius mundi hostiam & pontificem saluta-

Math. 12.

rem falsi testes insurrexerunt, qui se eius blasphemiam audisse confingerent. Æstimate quid iam possit præterire fallaciam, quæ in Deum fidei, imo in ipsam fidem ac veritatem periuriis impetum fecit.

De iudicio
exhibendo
magna cau-
tela.

Psal. 118.

Ioan. 7.

Eccles. 12.

Eccles. 11.

Act. 25.

Exemplo
iudicium sæ-
cularium
causæ reo-
rum tra-
ctandæ.

Hæc ideo scripsimus, vt de cetero, si qui absentes, minusque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri aduersus arietem fraudulentia. Vnde & *lucernam pedibus suis ac lumen semitis suis* vir sanctus exorat? scilicet ne inter fallaces tenebras sint cæca nobis & errabunda vestigia. Et in euangelio: *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi ab ipso audierit prius & cogitauerit?* Etiam in veteri Testamento: *Non credas auditui vano, & non consenseris cum iniquo fieri testis iniustus.* Et ne forte multitudini detrahentium ante examinationem iudicii crederetur, addit, dicens: *Non eris cum pluribus in malitia, & non accipies per eos peccatum.* Et iterum alibi: *Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam: & cum interrogaueris, corripe iuste.* Et iterum: *Quæ viderint oculi tui, loquere.* Et in Actibus apostolorum aduersus principes sacerdotum, & seniores Iudæorum postulantes absentis Pauli apostoli damnationem, iustissimam sententiam gentilis Festus tribunus protulit, quam conuenit etiam nos in facie credentium obiicere verecundiam, dicens: *Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentis habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Si hanc igitur moderationem extra septum fidei nostræ positus tenuit contra sacerdotalem pudorem inclinatio, crudelitas de absentibus in absentes: quotus quisque immunis inuenietur a vulnere, si ad omnem ferientis ictum credulum pectus aperitur?

Doceat nos terrena moderatio, quæ sæcularibus arbitriis & causis primum de ipsis iudicibus eligendis, repudiandisque sit. Et quanta cunctatio, quot interpositæ dilationes? quoties adhibita comperendinatio etiam sub ipso fine certaminis ampliare iudicia cum innocenti reo? confugitur ad mare & extramarina documenta; vt fides, quæ in præsentis plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminus veniat. Hæc omnia mentior, nisi in patrocinium tuendæ innocentia reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardius inueniri, quam

quam cito pro nocente damnare. Graue fuit Lazaro & Heroti, literarum suarum pedisequos esse? An nesciebant dilectionem vestram ad sedem apostolicam relaturam? Huc certo calumniæ compendio nauigassent. Vbi de episcopatu abdicando agitur, maria teraque lustrantur, nec vlla suffragia pratermittunt: vbi vero innocentium fama percellitur, otiosi & delicati, siue accusatores, siue testes, (in vtroque enim fallentibus nomen infame est) in cubilibus & lectulis suis literis abutuntur; & totam Africam, vniuersumque tranquillum catholicæ serenitatis innubilant ad libidines suas duæ pestes. Ante tribunal Christi omnes stabimus, nemo illic abesse poterit, nec Domini, cuius immensitas omnibus locis ac rebus interuenit, declinare iudicium.

Si Deo nostro cordi fuit, propter oues perditas, Verbum carnem fieri, & ex Domino formam seruiantis induere, vt diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium, eos quos falsi iudices criminabantur, agnoscere a nostro corpore & catholica veritate nunquam fuisse diuulsos. Certe hoc quod nostra expectatio desiderabat, eluxit, vt damnanda damnarent, & sequenda sequerentur. Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, *qui mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est*; & iubet in vsum eius stolam mundam, hoc est, insigne candidæ mentis afferri, & vitulum saginatum: quantum hæc vberior exultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parem vobis in Domino de absoluta eius fide esse lætitiã. Data xi. Kalendas Octobris.

Pelagius
probatas
catholicus.

Luce. 15.

N O T A.

Pelagius & Cælestius, eadem fuligine tincti, eadem arte fallendi sedem apostolicam, ambo vsi fuerunt. Sicut enim Cælestius, ita Pelagius in literis, quas ad Innocentium scriptas eo defuncto Zosimus accepit, nihil præterea magis conatus est, quam ab ipso Romano pontifice catholicus videri atque probari. Et ne posset velut hæreticus reuici, addita fidei confessione ac libello, quem ex antiquo Vaticano codice acceptum infra subiungimus, professus est se in omnibus

Concil. Tom. 4.

Ecc

Occasio
epistolæ.

paratum esse eadem de fide sentire, quæ Romanus pontifex sentienda proponeret. Has literas vna cum libello fidei adiuncto, dum Zosimus accepisset, sicut præcedentem epistolam de Cælestio, item hanc de Pelagio iam catholico (prout videri poterat) reddito, ad eosdem Africanos episcopos scripsit.

*Libellus fidei Pelagii ad Innocentium cum
epistola transmissus.*

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilibus & inuisibilibus conditorem. Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, per quem creata sunt omnia, verum Deum vnigenitum, & verum Dei Filium, non factum, aut adoptiuum, sed genitum, & vnus cum Patre substantiæ, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, vt nec tempore, nec gradu, nec potestate possit esse inferior: tantumque confitemur esse illum qui est genitus, quantus est ille qui genuit. Non autem quia dicimus genitum a Patre Filium diuina & ineffabili generatione, aliquod ei tempus adscribimus; sed nec Patrem aliquando cœpisse, nec Filium. Nec enim aliter confiteri possumus æternum Patrem, nisi confiteamur etiam cœternum Filium: ex Filio enim Pater dicitur, & qui semper Pater fuit, semper Filium habuit.

Credimus & in Spiritum sanctum, verum Deum, ex Patre procedentem, æqualem per omnia Patri & Filio, voluntate, potestate, æternitate, substantia. Nec est prorsus aliquis in Trinitate gradus; nihil quod inferius superiusve dici possit; sed tota deitas sui perfectione æqualis est; vt exceptis vocabulis, quæ proprietatem personarum indicant, quidquid de vna persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi. Atque vt confutantes Arium, vnã eandemque dicimus Trinitatis esse substantiam, & vnũ in tribus personis confitemur Deum; ita impietatem Sabellii declinantes, distinguimus, non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Spiritum sanctum esse dicentes; sed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse personam: non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, velut Græci exprimunt ὑποστάσεις, hoc est, substantias,

confitemur. Nec Pater Filii aut Spiritus sancti personam aliquando excludit; nec rursus Filius, aut Spiritus sanctus Patris nomen personamque suscipit: sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius est, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus est. Itaque substantia vnum sunt, personis ac nominibus distinguuntur.

Ipsam autem Dei Filium, qui absque initio æternitatem cum Patre & Spiritu sancto possedit, dicimus in fine sæculorum perfectum nostræ naturæ hominem suscepisse ex Maria semper Virgine; & Verbum carnem esse factum, assumendo hominem, non permutando deitatem: nec (vt quidam sceleratissime opinantur) Spiritum sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia ac virtute creatoris operatum. Sic autem confitemur in Christo vnam Filii esse personam, vt dicamus duas esse perfectas atque integras substantias, id est, deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. Atque vt condemnemus Photinum, qui solum & nudum in Christo hominem confitetur; ita anathematizamus, Apollinarem & eius similes, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana suscepisse natura, & vel in carne, vel in anima, vel in sensu assumptum hominem his, propter quos assumptus est, fuisse dissimilem: quem absque sola peccati macula, quæ naturalis non est, nobis confitemur esse conformem.

Illorum quoque similiter execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur a tempore susceptæ carnis, omnia, quæ erant deitatis, in hominem demigrasse, & rursus, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa, vt (quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est) videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, deitatis scilicet & humanitatis, & a proprio statu in aliud esse mutata, qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitentur, vt nec Deum verum, nec hominem tenere credantur. Nos autem dicimus, susceptum ita a Deo Filio passibile nostrum, vt deitas impassibilis permaneret; passus est enim Dei Filius non putatiue, sed vere, omnia quæ scriptura testatur, id est, esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, & cetera huiusmodi. Secundum illud, passus est quod pati poterat, id est, non

secundum illam substantiam quam assumpsit, sed secundum illam quæ assumpta est. Ipse enim Dei Filius secundum diuinitatem impassibilis est vt Pater, incomprehensibilis vt Pater, inuisibilis vt Pater, inconuertibilis vt Pater. Et quamuis propria persona Filii, id est, Dei Verbum suscepit passibilem hominem; ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam deitas nihil passa est, vt tota Trinitas, quam impassibilem confiteri necesse est. Mortuus est ergo Dei Filius secundum scripturas, secundum id quod mori poterat. Resurrexit tertia die. Ascendit in cælum. Sedet ad dexteram Dei Patris; manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit: non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, & in æternum cum deitate mansura. Accepta ergo a patre omnium potestate quæ in cælo sunt & in terra, venturus est ad iudicium viuorum ac mortuorum, vt & iustos remuneret, & puniat peccatores.

Condemnatio Origenis errorum.

Resurrectionem etiam carnis confitemur & credimus: vt dicamus, nos in eadem in qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos; qualesque semel post resurrectionem fuerimus affecti, in perpetuum permanuros. Vnam esse vitam sanctorum omnium, sed præmia pro labore diuersa: e contrario pro modo delictorum, peccatorum quoque esse supplicia. Baptisma vnum tenemus, quod iisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus, asserimus esse celebrandum. Hominem, si post baptismum lapsus fuerit, per pœnitentiam credimus posse saluari. Nouum & vetus Testamentum recipimus, in eo librorum numero quem sanctæ catholicæ ecclesiæ tradit auctoritas. Animas a Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus; anathematizantes omnes qui animas quasi partem diuinæ dicunt esse substantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccasse, vel in cælis conuersatas fuisse dicunt, quam in corpora mitterentur. Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo præceptum esse, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari: vel qui primas nuptias cum Manichæo, vel secundas cum Cataphrygis damnant.

Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, & eum propter assumptum hominem non omnia facere potuisse quæ voluit. Iouiniani quoque damnamus hæresin, qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam, nosque eas ibi habituros esse virtutes, quas hic habere neglexerimus. Liberum sic esse confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio; & tam illos errare qui cum Manichæis dicunt hominem peccatū vitare non posse, quam illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare; vterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos vero dicimus, hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides, papa beatissime, quam in ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In qua, si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur; quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

Condemnatio Iouiniani errorum.

EPISTOLA V.

ZOSIMI PAPÆ

AD EPISCOPOS GALLIÆ.

De priuilegiis ecclesiæ Arelatensis.

- | | |
|--|--|
| I. Vt qui Romam e Gallia veniunt, formatas accipiant a metropolitano Arelatensi. | Viennensem, & per vtramque Narbonensem. |
| II. Vt metropolitanus Arelatensis episcopos ordinet per prouinciam | III. Vt ecclesiæ Arelatensi sue parochiæ restituantur. |

Zosimus vniuersis episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis.

I.

PLACVIT apostolicæ fedi, vt si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet ecclesiastico gradu, ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi metropolitani Arelatensis epi-

Ecc iij

scopi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum, vel locum ecclesiasticum quem habet, scriptorum eius ad stipulationem perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia plures episcopi, siue presbyteri, siue ecclesiastici simulantes, quia nullum documentum formatarum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reuerentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres carissimi, prætermissa prædicti formata, siue episcopus, siue presbyter, siue diaconus, aut deinceps inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino suscipi non posse. Quam auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat, id quod statuimus omnimodis esse seruandum. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare tentauerit, sponte sua se a nostra nouerit communionem discretum. Hoc autem priuilegium formatarum sancto Patroclo fratri & coepiscopo nostro meritorum eius speciali contemplatione concessimus.

II.

Iussimus autem præcipuam, sicuti semper habuit, metropolitano episcopo Arelatensium ciuitatis in ordinandis sacerdotibus teneat auctoritatem. Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam, prouincias ad pontificium suum reuocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta, & præcepta maiorum, omisso metropolitano episcopo, in prouinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is qui ordinari se illicite sciuerit, uterque sacerdotio se carere cognoscat. Quomodo enim potest auctoritatem summi pontificis obtinere, qui quæ erant pontificis seruare contempsit?

III.

Omnes sane admonemus, ut quique finibus territorii sui contenti sint: de qua re, ne ad nos querela ulterius redeat, admonemus. Dedit enim exemplum Arelatensis ecclesia, quæ sibi Citharistam & Gargariam parochias in territorio suo sitas incorporari iure desiderat, ne de cetero ullus sacerdos in alterius sacerdotis præsumat iniuriam. Sane quoniam metropolitane Arelatensium urbi vetus priuilegium minime derogandum est, ad quam primum ex hac sede Trophimus summus antistes, ex cu-

ius fonte totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt, directus est: idcirco quascumque parochias in quibuscumque territoriis, etiam extra parochias suas, ut antiquitus habuit, interemerata auctoritate possideat. Ad cuius notitiam, si quid illic negotiorum emerferit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen. Data XI. Kalendas Apriles, Honorio Augusto XI. & Constantio II. consulibus.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

^a *Citharistam & Gargariam.*] Lege *Gargarium*. Verus tabula nondum edita, quæ extat Arelate: *Pagani pagi Lucreti qui sunt finibus Arelatensum loco Gargario*. Atque ita codices antiqui, Arelatenfis & Lirinensis, quibus maxime, ac tertio Pithœano, in recensendis Zosimi epistolis vsi sumus. At Citharistanæ parochiæ mentio est itidem in libro 2. vitæ S. Cæsarii Arelatenfis.

Priuegia
Arelatenfis
ecclesiæ
quæ & vn-
de accepta?

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a *Epistola.*] Quia per S. Trophimum, S. Petri apostoli discipulum, in Gallias euangelium allatum, sedesque Arelatenfis erecta fuit, ideo eidem ecclesiæ olim ea priuegia a sede apostolica concessa fuerunt, ut primaria Galliæ ecclesia haberetur, episcopi illius non solum pallium acciperent a Romano pontifice, sed etiam vicem eius agerent, ipsiusque vicarii dicerentur. Hoc præter epistolas Zosimi ex vetusto codice Arelatenfis ecclesiæ acceptas, testatur Gregorius in epistola ad Virgiliū Arelatensem episcopum, nec non in epistola sequente ad vniuersos Galliarum episcopos scripta. Bonifacium & Cælestinum pontifices, hac de re aliter sensisse infra dicemus.

Narbonen-
sis ecclesia
Arelatenfi
subdita.

^b *Narbonensem primam.*] Canone 1. Concilii Taurinensis sub Siricio constitutum fuerat, ut prouincia Narbonensis Massiliensi episcopo subderetur. Hoc Zosimus pontifex, ut Arelatenfis ecclesiæ priuegia salua manerent, hic plane irritauit. Vide epistolam Zosimi ad Viennensis & Narbonensis prouinciæ episcopos scriptam infra: item Baronium anno 417. num. 40. & 43.

EPISTOLA VI.

ZOSIMI PAPÆ

AD EPISCOPOS AFRICÆ, GALLIÆ,
ET HISPANIÆ.De Vrso & Tuentio episcopis a Proculo Massiliensi in
ecclesiæ Arelatenfis præiudicium illicite ordinatis.*Zosimus Aurelio & vniuersis episcopis per Africam constitutis,
vniuersis episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis,
vniuersis episcopis per Hispaniam constitutis, a pari.*

CVM aduersus statuta patrum venit, non tantum il-
lorum prudentiæ atque sententiæ, qui in æuum vi-
ctura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei & catholicæ
disciplinæ irrogatur iniuria. Quid enim tam sanctum at-
que venerabile est, quam penitus non exorbitare ab iti-
nere maiorum, quorum canonica instituta veluti quæ-
dam fundamenta sunt ferendis fidei iacta ponderibus?
Sed nihil minus ab Vrso & Tuentio, quorum vnus, assidua
fedis huius medicina curatus, ad emendati erroris per-
uenire non potuit sanitatem: alter vero ante aliquot an-
nos obiecta criminatione summotus, sicut ciuium scri-
pta testantur, vel ingesta docuerunt, etiam ab eo ipso
gradum summi sacerdotis accepit, a quo fuerat ante dam-
natus. Cæcus error in vtroque, vt quod est potissimum
in omnibus, nec velit aliorum de Tuentio, nec suam de
Vrso tenere sententiam. Sed fac vt honesti mores homi-
nibus essent, & probata suffragia. Quid illud, quod præ-
termisso fratre nostro Patroclo metropolitano episcopo
Arelatenfium ciuitatis, sine cuius auctoritate, iuxta ma-
iorum Canones, nulla penitus potuit ordinatio celebra-
ri, tumultuosè & turbide indebitis sacerdotia impingun-
tur? Nec saltem comprouinciales episcopi corrogantur,
vt error velamento aliquo tegeretur: sed Lazarus, dudû
in Taurinenfi Concilio grauissimorum episcoporum sen-
tentiis pro calumniatore damnatus, cum Bricii innocen-
tis episcopi vitam falsis obiectionibus appetisset; post ve-
ro indebitum ab eodem Proculo, qui inter ceteros in Sy-
nodo * damnationis eius assederat, sacerdotium consecu-
tus,

* damna-
tionis e-
ius eoo-
senserat.

tus, a quo se ipse vitæ suæ conscientia, datis literis in abdicationem sui, sponte submouit. Reuera incongruum fuit, vt illicitum sacerdotio, omisso metropolitano, sua confessione spoliatus sacerdotem pariter ordinaret. Et ne nihil non intempestiue fieret, ne dies quidem legitimus ordinationis adsciscitur: scilicet vt quibus cuncta deerant, etiam legitimum tempus deesset. Quis his tot tantisque improba vsurpatione posthabitis addi potest, nisi illud extremum, quod totum transcendit errorem, vt territoriis indebitis ad Arelatensem ciuitatem antiquitus pertinentibus locarentur? Vnum vitium si in causis talibus euenisset, apostolicæ sedis auctoritas etiam cetera destruxisset. Hic multa concurrunt, improborum & damnatorum ordinatio, prætermissio metropolitani, nec non & prouincialium sacerdotum, locorumque alienorum impudentissima vsurpatione, nec saltem diei custodia sollemnitas, & Lazarus in consortio illicitæ ordinationis adscitus. Hæc omnia apud nos gestis testimoniisque discussa sunt. Atque vtinam in Tuentio prauis tantum mores, non etiam Priscilliana superstitio patuisset: quæ sedis huius dudum humanitas & misericordia in hoc illi consulere voluit, vt emendatior de cetero permaneret. Quod beneficium, sibi pene præter exemplum præstitum, si diligentius obseruare voluisset, erroris illum antea acti oportuit pœnitere, non ita præcipiti impetu ad sacerdotium festinare; vt nec diei veterem sollemnitatem, quæ præcipue custodienda fuerat, obseruaret, nec indebito loco crederet abstinendum. Qua de re ad sanctitatem vestram, & per totum orbem, vbi cumque, & in quacumque terrarum sonus catholicæ religionis exiit, scripta direximus, fratres carissimi, ne Tuentium & Vrsium in communionem ecclesiæ, in quocumque ecclesiastico gradu, a qua in totum anathematizati sunt, suscipiendos esse ducatis. Dicuntur enim circulatorum esse, quod nos ex sententiis agnouimus in eorum damnatione sacerdotali auctoritate prolatis, quas in diuersis regionibus exceperunt. Remouendæ sunt a sancto corpore putridæ carnes, & a massa sanctificationis acidum execrandumque fermentum. De quibus plura scribere pudoris fuit, cum illis pudori non sit tanta fecisse.

Concil. Tom. 4.

Fff

Data sub die x. Kalend. Octobris Honorio Augusto XI.
& Constantio II. consulibus.

NOTA.

Epistola
circularis
cur scripta?

^a *Epistola.*] Hæc epistola circularis est, qua vniuersos episcopos de irritatione ordinationum episcopalium duarum certiores reddidit. Ad Aurelium Carthaginensem episcopum scribendi ea fuit occasio, quod in hac epistola agitur etiam de Lazaro, a Proculo Mafiliensi, qui fuit vnus ex Pelagii accusatoribus, prædam nactõ.

EPISTOLA VII.

ZOSIMI PAPÆ

AD EPISCOPOS PROVINCIAE VIENNENSIS
ET NARBONENSIS II.

Vt metropolitanus Arelatensis in prouincia Viennensi,
& in vtraque Narbonensi, ordinandorum
episcoporum habeat potestatem.

*Zosimus episcopis prouinciæ Viennensis & Narbonensis
secundæ a pari.*

Conc. Tau-
rin. cap. 1.

MVLTA contra veterem formam Proculus vsurpasse detectus est in ordinationibus nonnullorum indebite celebrandis, quas proxime numerosa cognitione discussimus: licet ipse diu expectatus fastidiose ferens sibi inducias attributas conuenire dissimulet. Attamen illa præsumptio nos admodum mouit, quod in Synodo Taurinensi, cum longe aliud ageretur, in apostolicæ sedis iniuriam subripiendum putauit, vt sibi Concilii illius emendicata præstaret obreptio ordinandorum sacerdotum, veluti metropolitano, in Narbonensi secunda prouincia potestatem. Et ne solus impudenter indebita postulando huic sedi videretur intulisse conuicium, socium sibi Simplicium Viennensis ciuitatis adsciuit: qui non dissimili impudentia postularet, vt sibi quoque in Viennensium prouincia creandorum sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens ausus, & in ipso vestibulo refecandus, hoc ab episcopis ob certas causas Concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta patrum, & sancti Trophimi reuerentiam, qui primus metropolitanus Arelatensis ciuitatis ex hac sede directus est, concedere vel mutare ne huius quidem sedis

Iuo p. 4.
cap. 226.

possit auctoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus uiuit antiquitas, cui Decreta patrum sanxere reuerentiam. Et quia redire in ordinem suum intermissa præcipimus, metropolitanus Arelatensis ciuitatis episcopus, iam inde a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonensi & Viennensi auctoritate possideat. Data III. Kalendas Octobris, Honorio Augusto XI. & Constantio II. consulibus.

EPISTOLA VIII.

ZOSIMI PAPÆ

AD HILARIUM EPISCOPUM NARBONENSEM.

Primæ Narbonensis episcopus a metropolitano Arelatensi ordinandos esse.

Zosimus Hilario episcopo Narbonensis primæ prouinciæ.

MIRATI admodum sumus, dum nobis studiosius requirantibus relatio tua de ordinandis in prouincia Narbonensi prima sacerdotibus legeretur, quod dum assertioni & desideriis tuis cupis esse consultum, prætermissa veri fide, relationem tuam sub honestatis specie colorasti, asserens in aliena prouincia ab alio non debere fieri sacerdotes: cum utique debueris, non quid tibi rectum videatur, sed quid habuerit antiqua consuetudo, suggerere. Ideoque vacuato eo quod obtinuisse a sede apostolica subreptitie comprobaris, quia satis constitit Arelatensis ecclesiæ sacerdoti prisca id institutione concessum, ut non solum in prouincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses, episcopos faciat. Nam sanctæ memoriæ Trophimus, sacerdos quondam Arelatensi vrbi ab apostolica sede transmissus, ad illas regiones tanti nominis reuerentiam primus exhibuit, & in alios non immerito eam quam acceperat auctoritate transfudit. Atque hanc ordinandi consuetudinem, & pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus & iustus, custoditum vsque in proximum tempus, gestis apud nos habitis, multorum sacerdotum testimoniis approbatur. Ergo licet sola, quæ in sede apostolica habita sunt, potuissent gesta sufficere; tamen etiam hac te auctoritate constringimus, ut præ-

Concil. Tom. 4.

Fff ij

sumptioni tuæ, quam extulisse contra veterem consuetudinem videbaris, modum noueris iustæ præscriptionis indictum. neque æstimes tibi vltius pontificatum de ordinandis sacerdotibus vindicandum: cum hoc videas Arelatensis episcopo ciuitatis, & per apostolicam sedem, & per S. Trophimi reuerentiam, & per veterem consuetudinem, & nostra recenti euidentiſſima definitione deferri. Si quid contra hæc, frater carissime, quæ a nobis sunt sub Dei iudicio statuta, tentaueris, non solum quos faciendos credideris, episcopatum obtinere non posse, sed etiam ipse catholica communione discretus, sero de illicitis præsumptionibus ingemiscas. Data sub die III. Kalend. Octob. Honorio Augusto XI. & Constantio II. consulibus.

EPISTOLA IX.

ZOSIMI PAPÆ

AD PATROCLVM EPISCOPVM ARELATENSEM.

Aduersus Proculum, & repentinæ neophytorum promotiones.

Zosimus Patroclo episcopo Arelatensi.

QVID de Proculi damnatione censuerim, tenet conscientia tua, cum meo interesset examini, nec te gestorum nostrorum auctoritas latet, vel scriptorum, quæ de ipsius damnatione per terrarum diuersa loca direximus. Vnde metropolitanus in te dignitatem atque personam, etiam apostolicæ sedis auctoritate considera, in quem furtiue locum pro indebita Synodo Proculus usurpatum irreperat. Quicumque igitur ex Gallicanis vndeunde regionibus veniunt, sub quouis ecclesiastico nomine vel gradu, formatas per te commoniti mittendas esse cognoscant: alioquin sibi imputabunt, si inefficaciter, hac solennitate postposita, te inconsulto ad nos venire tentauerint. quod ab episcopis vsque ad vltimum ecclesiasticum gradum obseruari conueniet, frater carissime. Et quia nonnulli ex quacumque militia se ad ecclesiam conferentes, statim saltu quodam summatem locum religionis affectant, qui gradatim per ecclesiastica stipendia venientibus explorata solet discuf-

sione differri : idcirco quoniam in nonnullis factum infirmare non possumus, si qui iam ordinati sunt, in eo gradu, ad quem saltu subito peruenerunt, perdurare debebunt. Si enim apostolus neophytum sacerdotio non statim cumulari iubet, & hoc idem Canonum statuta sanxerunt; hoc addimus nostra sententia, ut quisquis de cetero vel summo sacerdotio, vel presbyterii gradu, vel diaconatus crediderit cumulandum, sciat & se gradus sui subire iacturam, nec in illum valitura esse quæ contulit: ut saltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoueat, quos examinata discussio coercere debuisset. Scripta nostra in omnium facies notitiam peruenire, ut nec hoc quidem ipsum tibi, quod omnibus interdictum est, licere cognoscas. Data III. Kalendas Octobris Honorio XI. & Constantio II. consulibus.

EPISTOLA X.

ZOSIMI PAPÆ

AD CONCILIUM CARTHAGINENSE.

Iudicium Cælestii se catholicum profitentis, usque ad meliorem informationem ab Africanis expectitam, dilatatum esse enuntiat.

Zosimus Aurelio ac ceteris qui in Concilio Carthaginensi adfuerunt, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

QUAMVIS patrum traditio apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de eius iudicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque seruauerit; & currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reuerentiam quam debet, exoluat: tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut & ligata solueret, & soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos qui sedis hereditatem, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse cum omnium ecclesiarum, tum huius maxime, ubi federat, curam; nec patitur aliquid priuilegii aliqua titubare aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma, & nullis heberata motibus constituit

Sedis apostolicæ & Romanorum pontificum summa auctoritas.

fundamenta, & quæ sine periculo temere nullus incesset. Cum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium maiorû studia firmauerit, vt tam humanis quam diuinis legibus & disciplinis omnibus firmetur Romana ecclesia, cuius locum nos regere, & potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, & quemadmodum sacerdotes, scire debetis: tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, vt nullus de nostra possit retractare sententia; nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris vltro literis referremus; dantes hæc fraternitati, vt in commune consulentes; non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid quod contra vtilitatem ecclesiæ veniens displiceret, sed pariter vobiscum volumus habere tractatum de illo qui apud vos (sicut ipsi per literas dicitis) fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens iudiciû ex appellatione pristina, venerit sedem, accusatores suos vltro deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falso dicebat illata condemnans: omnem eius petitionem prioribus literis, quas vobis misimus, putauimus ac nouimus explicatam, satisque illis scriptis, quæ ad illa rescripseratis, credimus esse responsum.

De literis
Carthagi-
nensis Con-
cili ad Zo-
simum red-
ditis.

Sed post missæ per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolæ omne volumen volumus: quo aliquando perlecto, ita totum literarum comprehendistis textum, quasi nos Cælestio commodauerimus in omnibus fidem, verbisque eius non discussis, ad omnem (vt ita dicam) syllabam præbuerimus assensum. Nunquam temere, quæ sunt diu tractanda, sinuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari iudicio. Idcirco nouerit vestra fraternitas, nihil nos post illas, quas superius velliteras vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, cum hoc nostris literis vestræ indicauimus sanctitati, vt illa quæ a vobis ad nos missa erat obtestatio, remaneret. Subscripsi. Bene valete. Data XII. Kalendas Aprilis, Honorio Augusto XII. consule. Accepta tertio Kalendas Maias.

EPISTOLA XI.
ZOSIMI PAPÆ
AD PATROCLVM EPISCOPVM
ARELATENSEM.

Aduersus Proculum eundem, eiusque ordinationes.

Zosimus Patroclo episcopo Arelatensi.

CVM & in presenti cognoueris, & frequentibus a nobis literis ipse sis monitus, vt auctoritate metropolitani, quam tibi apostolica sedis pronuntiatione firmauimus, Proculi ausibus conatibusque illis, quibus adhuc se putat aliqua posse turbare, huius rei oppressu occurreres, renitens rigore censuraque, quam pro regularum confirmatione susceperas: quippe cum & tibi nostrum delegatum nosses officium, & illum scires esse damnatum; miror quid post ista Proculo liceat, ac vacet illa quæ consueuerat, aut peiora committere. Quidnam putant vnde istam habeas potestatem tuam, frater carissime, vt censuerimus censeamusque quicumque de illis ad nostras regiones veniunt, sine tua non suscipiendos esse formata, nec probandum, quem non in prouincia positus ipse probaueris? Post istam ecce delegationem ad nos rumor aduenit, Proculum quasi consuetis ludere, & vt i moribus suis, iunxisse sibi quosdam idoneos turbationibus homines, & post illa quæ illi interdiximus ordinasse. Sed sciant, quibus hanc epistolam volumus in notitiam peruenire, suscipi se nullatenus posse, qui aut contra regulas repente, aut postquam interdiximus illi, sunt ordinati. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theodosio VIII. Augustis consulibus.

EPISTOLA XII.
ZOSIMI PAPÆ
AD MASSILIENSES.

Patroclo esse commissum, vt Proculi loco alium
episcopum accipiant.

Zosimus clero, ordini, & plebi consistenti Massiliæ.

NON miror Proculum in consueta adhuc fronte dura-
re, & oblitum penitus pudoris quotidie digna dam-
natione committere, nec aliquando desistere, vt toties
commonitus prohibitusque non cesset. Ecce cœtum ve-
stræ dilectionis sua, qua sola notus est, turbatione con-
fundit: nec ecclesiam patitur esse concordem, cum suis
id agat semper officiis, quatenus aggerens postrema prio-
ribus, malum aliquod quod ante commiserat in peius e-
mendet. Cum ipse iam non sit episcopus, episcopos facit,
& humanus largitor aliis se dicit posse præstare, quod da-
tum sibi aliquando immerito, tenere non potuit. Addens
sibi iungitque inquietæ mentis homines, & qui soli pos-
sunt fauere damnato, per quos quæcumque turbarum
studiosus cogitat, hac sua fidens societate conficiat. Sed
habeo, fratres carissimi, vestri curâ, moleste ferens, quid-
quid ille quotidianis ausibus facit, id vos Christianum
populum, & qui in nostra caritate persistat, posse per-
ferre, nec eius obuiare factis, aut repugnare conatibus.
Idcirco curam vestri licet & prioribus commiserim lite-
ris vestræ metropolitano prouinciæ, fratri & coepiscopo
nostro Patroclo, tamen iterum committo, vt ipsius tuti
consilio, & pro disciplinarum ratione formati, eius ob-
temperantes nutibus dignum possitis accipere sacerdo-
tem. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theo-
dosio V III. Augustis consulibus.

EPISTOLA XIII.

ZOSIMI PAPÆ

AD EPISCOPOS PER BYZANTIUM

CONSTITUTOS.

Ut sacerdotes presentibus laicis non iudicentur.

*Zosimus episcopis per Byzantium constitutis, dilectissimis fratribus,
in Domino salutem.*

MIROR vos nullam reuerentiam nostri nominis præstare fastigio, nec honorem episcopatus talem deferre, qualis debet ab his seruari, quorum hic honor est. Iudicaturi laici de episcopis sedent, & hoc vestrum dicitis esse Concilium, ubi non sacerdos laicum, sed laicus permissioe vestra iudicaturus interest sacerdotē: non enim sibi poterit: quamuis honoratus fuerit laicus tantum de quouis honore blandiri, ut merito interfuisse videretur, quod erat constitutum ecclesiasticum. Adde quod teloniariorum siue demonariorum etiam nomen inferitur, & iudicium in episcopum ab hac congregatione collegitur. Sedent publicani homines, & auditur episcopus, & talibus, quid fas non est facientibus. vobis auditur illud quoque, quis non rideat, imo non doleat, cum taliter ecclesiasticam videat regulam titubare, & vigorem Canonum ad hoc esse deiectum. quando hoc, & ubi factum docetur exemplum? quæ atas meminit? quis sacerdos audiuit? cum fuerint innumeri, qui amplissimis abdicatis honoribus ita potentiam refutauerint sæcularem, ut vel minimi nominis clerici maluerint sustinere, nec aliquid prioris dignitatis ambitu iudicari, & cede iudicibus vera & certa præscriptio. quid vultis de consensu iudicem laicorum vel clerici, qui hoc solum nomen sine pristinas ne sæcularitates gloria erubescit audire. quid de vobis certe indulgite, si dicam, cum iudicaturi cum talibus confidatis; illud autem non nobis prætermittendum videtur, præsertim cum hoc nulla aceruitas fecerit iudiciorum, nullus ordo meminerit, ut quærendi aduersarium suum alicui necessitas imponatur, & ad iudicium deducendi, cum ille ultro se debet inferre, qui arguit.

Concil. Tom. 4.

Ggg

Ex codice
manufcri-
pto vetustis-
simo mona-
sterii Vvein-
gartenfis:
sed diuer-
sitas styli
maxima,
eam de fide
suspectam
reddidit, &
aliquibus
in locis
mendosa
est.

Vnde hoc inuicem scriptum ad vestram transmifimus caritatem per fratrem & coepiscopum nostrum Numunianum. Bene valete, fratres, & ad latus, XVI. Kalendas Decembris, Honorio VII. & Theodosio VIII. consulibus Augustis.

DECRETVM
EIVSDEM ZOSIMI PAPÆ
EX GRATIANO DESVPTVM.

Apostolica sedis auctoritas contra sanctorum statuta aliquid condere non valet.

Huius Canonis expositionem vide 25. quæst. 1. Sunt quidam dicentes.

CONTRA statuta patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui Decreta patrum sanxere reuerentiam.

CONCILIVM AFRICANVM
S V B Z O S I M O .

Anno Christi CCCCXVIII.

Huic consentit alius quidam per uetustus codex.

In uetusto quodam codice monasterii sancti Bauonis in Gandauo, insignis Flandriæ urbe, tale habebatur initium:

HONORIO Augusto XII. consule Kalendis Maiis, Carthagine in basilica Fausti, cum Aurelius episcopus simul cum Donatiano Teleptensis primæ sedis episcopo prouinciæ Byzacenæ, & aliis ducentis * tribus coepiscopis suis, tam ex prouincia Byzacena, quam Mauritania Stipensis, Tripolitana, Numidia, Mauritania Cæsarensi & Hispania, in Concilio confedisset, adstantibus diaconibus, placuit omnibus in sancta Synodo Carthaginensis ecclesiæ constitutis, ut quicumque dixerit, Adam primum hominem, &c. *ut infra in Concilio sub Bonifacio, Can. 76.*

ANNO
CHRISTI
418.

* quatuordecim, & amplius, ut ait Mariani Saceris sub anno 419.

Verum in codice impresso Moguntiæ in ædibus Ioannis Schœffer, circa annum 1525. atque secundum exemplar Anglicanum uetustissimum monasterii Vintoniensis, tale fuit initium: